



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 133. Pacis articuli ab Anglis propositi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

§. CXXXIII.

Sæcul. XV.
A. C. 1438.*Pacis articuli Anglis propositi.*

Ad redintegrandam pacem Anglis offerbatur, ut Cadomiensem, Cotentinam, & Ebroicensem Provincias, ac quidquid in Aquitannia possiderent, integre eorum imperio cederetur, excepto S. Michaelis monte, ac Alenconii Ducatus summa jurisdictione & subjectione Gallis reservata: præterea obtinerent Caletum, Aquitanniam, ceterasque urbes, quæ in Picardia eis parebant; Galliarum tamen Regi itidem subditorum fidelitas, homagium, ac supremi Domini jura omnino salva remanerent, Galli econtra ab Anglorum Rege postulabant, ut omnia, quæ in Galliis occupaverat, tam pro se, quam pro posteris suis abdicaret; nec ultra se Franciæ Regem nuncupari permitteret, minus Regni insignibus uteretur; irritum ac nullum declararet, qualecunque ad Galliæ sceptrum jus obtendere posset; ac denique, ut nullo vel saltem non nisi modico lytro Aurelianensem Ducem libertati restitueret. Hæc pacta neutiquam probabantur Vinconienti Cardinali, quapropter oblatis aliis conditionibus exposcebat, ut omnes Provinciæ, terræ, ac ditiones, quibuscunque Anglia ante ereptum sibi Galliæ diedema potiebatur, redde-

Sæcul. XV. redderentur, præterea Caletum, Aquitania, cum omnibus annexis juribus, pleno ac supremo Dominio, Anglis relinquerentur, ac subditi a fidelitate, homagio ac Gallorum jurisdictione penitus abstergerentur. Nempe Cardinalis expressis Provinciarum, terrarum, ac ditionum nomine, totam Normanniam, Andegavum, Cenomanum, Aquitanniam, Vascoviam, Turonium, Pictavium, Montrolium, Britanniae Ducatum, & comitatum Flandriae complectebatur cum omnibus ceteris Dynastiis, quas olim Angliæ Reges vindicaverunt, & quæ inter mox recensitas provincias non comprehenduntur.

§. CXXXIV.

Hæ conditiones rejectæ.

Quamquam vero omnes pacem conditionibus adeo duris restitutum minime crederent; nihilominus Burgundiae Ducissa nequaquam animum despondebat, sed alteram potius ineundæ concordiae viam aperuit, ac die vigesima nona Julii proposuit, quod Anglis per quindecim, viginti, vel omnino per triginta annos jurium suorum usus indulgeretur: quo temporis decursu Rex Angliæ titulo Regis Galliae renuntiaret, perpetuo tamen jure Aquitanniam, Normanniam & Picardiam possideret; Britannia

vero